





AD

HALCYONIA

SENECTVTIS

ADMIRANDA

QVVM VIR

MAXIME VENERABILIS DOCTISSIMVSQVE
M. HIERON. IOACH. WAEGERS,
PASTOR ECCLESIAE AD D. PETR. FREIBERG. MERITISSIMVS
ET SENIOR TOTIVS DIOECESEOS SPECTATISSIMVS

MEMORIAM SACERDOTII

ANTE QVINQVAGINTA ANNOS INITI

A. D. V. NOVEMBR.

A. R. S. MDCCLII.

RESTAVRARET,

ET

IUVENES DE SCHOLA

PIA VOTA PRO SALVTE ILLIVS.

FACIENDA MEDITARENTVR

OBSERVANTISSIME

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XLVIII.

Ea pars anni, quae auctumno iam vergenti imminet, et hiemis nomen prae se fert, expressissimam aetatis ingrauescentis imaginem representat. Quantum enim inter veris mites zephyros et boreae inclementiam, inter aestatis soles et brumae frigor, inter auctumni fertilitatem et hiemis nuditatem interesse, sentimus: tantum senectutem ab annis florentibus differre, uno ore omnes fere confitentur, quos natura fau-trix ad grandioiorem aetatem prouexit. Hac mente Solon, interrogatus, quid senectutem esse, putaret? vitae hiemem, acute respondebat. Neque alia OVI-DII mens fuit, quatuor anni partes cum quatuor humanae vitae aetatibus eleganter ita comparantis: a)

*in species succedere quattuor annum
 Adspicias, aetatis peragentem imitamina nostrae?
 Nam tener et lactens, puerique similimus aeuo
 Vere nouo est. Tunc herba nitens et roboris expert
 Turget, et infolida est, et spe delectat agristem.
 Omnia tunc florent, florumque coloribus almus
 Ridet ager, neque adhuc virtus in frondibus ulla est.
 Transit in Aestatem post ver robustior annus,
 Fitque valens iuuenis. Neque enim robustior aetas
 Vlla, neque uberior; nec, quae magis aestuet, ulla est.
 Excipit Auctumnus, posito seruore iuuentae
 Maturus, mitisque, inter iuuenemque senemque
 Temperie medius, sparsis per tempora canis.
 Inde senilis Hiems tremulo venit horrida passu,
 Aut spoliata suos, aut, quos habet, alba capillos.*

Hanc igitur aetatem senilem quamuis omnes fere homines perpetuis votis expetant, tamen, quod iampridem CICERO sensit, b) plerique adepti accusant, ubi nempe vel defectum caloris naturalis cum senescente Dauide desiderant, c) vel ab iunioribus sese illudi, cum Iobo vident, d) vel sensus labefactatos fugere, cum Barfillaeo intelligunt, e) vel aliis infirmitatibus perturbantur, et *expectata diu votisque optata senectus obicit innumeris corpus lacerabile morbis.* f)

Itaque non auctores solum profani, Bion, Antiphanes, et Seneca senectutem portum aerumnarum, officinam omnium malorum, et morbum insanabilem adpellarunt; sed etiam Salomon, diuinitus inspiratus, elapsos floris iuuenilis dies cum decrepita aetate conferens, extremum humanae vitae tempus ימי זקנה h. e. *dies malos* nominat, eosque omnino delectationis expertes esse, adfirmat g) Talis viri senis imaginem viuus veluti coloribus HORATIVVS exprimit, canens: h)

Quaerit

- a) Metamorph. L. XV. Fab. III. 200 sq. b) de Senect. c. II. c) 1 Reg. I, 1. 2.
 d) Iob XXX, 1. e) 2 Sam. XIX, 35. f) *Auson.* Idyll. XVI, 16.
 g) Cohel. XII, 1. sqq. h) Art. Poet. 170. sqq.

Quaerit, et inuentis miser abstinet, ac timet uti,

Idem res omnes timide gelideque ministrat,

Dilator, spe longus, iners, auidusque futuri,

Difficilis, querulus, laudator temporis acti

Se puero, censor, castigatoreque minorum.

Tantum igitur mutatus a iuvene senex videtur, ut laepe se ipsum vix no-
fcat. Animi dotes, mentis acies, et animae facultates, quae in aetatis vere flo-
rebant ac vigeabant, ingrauescente aetate claudicant, torpent, languent et con-
turbescunt, imo omnis, ut LVCRETIVS ait i)

in partem peiorem labitur aetas.

Neque animi tantum, sed corporis etiam imminui vires et indies enervari,
senex intelligit, et intelligendo sentit. Quemadmodum enim in sentina omnis
colluvies quae totam per navem colligitur, confluit: ita in senectutem transit,
quicquid natura habet fragile atque infirmum. Ita senem IUVENALIS eleganter
depingit; k)

tetrum ante omnia vultum

Diffimilemque sui, deformem pro cute pellem

Cedentesque genas, et tales adspice rugas,

Quales umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,

In vetula scalpit iam mater simia bucca,

Vna senem facies, cum voce trementia membra,

Et iam laeue caput, madidique infantia nabi,

Frangendus misero gingiua panis incrimi,

Practerea minimus gelido iam corpore sanguis

Febre calet sola; circumslit agmine facto

Morborum omne genus,

Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos

Perdidit ille oculos, et luscis inuidet. Huius

Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis. etc. etc.

Quae quum ita sint, quis senes istos audeat praedicare felices, qui, macie et
squalore confecti, cum tot tantisque molestiis quotidie conflictantur, corpuscu-
lum exsanguie atque effoetum, tanquam imbecillitatis vehiculum, vix trahentes?
Habent igitur omnino, qui ab aetate corroborata ad ingrauescentem procedunt,
quod, Davidis exemplum sequuti, l) diuinum praesidium continuis precibus implor-
rent: *ne me, Deus, desere in senectute, neque auxilio Tuo destitue viribus*
destitutum!

Habent vero etiam, qui, vita bene et praeclare acta, ad senectutem aspirant,
quod de singulari Dei immortalis gratia sibi gratulentur. Quid enim gratius
et optabilius esse iis potest, quam promissio senibus a Deo facta: m) *ego vos*
portabo in senectute, ubi canescetis, imo ego vos sustentabo, gestabo, et tuebor.
Videmus enim, et quotidie experiendo discimus, quod non semper - - *tarda*

i) L. IV.

k) Sat. X. 191. sqq.

l) Ps. LXXI, 9.

m) Is. XLVI, 4.

tarða senectus
debilitet vires, animi mutetque vigorem. n)

Et haec senectutis halcyonia tanto maiori praedicatione celebrari merentur, quanto plus dignitatis illi aetati conciliant. Quis non miratur Mosen, legatum illum diuinum, et tam muneris sanctitate conspicuum, quam aetate grauem? qui, centum et viginti annos natus, neque oculorum neque virium infirmitatem persensitcebat. o) Eadem felicitate Caleb us utebatur, qui, successor Mosis datus, populum Israeliticum in terram promissam deducebat, et his verbis suum tam corporis quam animi vigorem testabatur: *ego hodie annos octoginta quinque expleui, neque tamen infirmiori sum valetudine, quam eo tempore fui, quo Moses me inaugurauit, neque vires meae a pristino robore defecerunt.* p) Ex historia profana idem beneficium Aulonii pater proficitur, canens; q)

Nonaginta annos baculo sine corpore toto

Exegi, cunctis integer officis.

Pari alacritate Gorgias Leontinus, rhetor ille Siculus, cui tantus honos ab omni Graecia habitus est, ut soli ex omnibus non inaurata, sed aurea statua Delphis poneretur, quum centesimum septimum aetatis annum ageret, rogatus, num plures ex peteret annos? respondebat: quidni? non enim habeo, quod aculem meam senectutem. r) Quod exemplum et plura alia CICERO in eo libro, quem Catonem Maiorem, vel de senectute, inscripsit, allegat. Et quoniam hic liber inter cetera illius scripta veluti gemma emittit, et cygneam Tullii canticum refert, à nostro instituto non erit alienum, potissima illa momenta hoc loco repetere, quibus autor senectutis iucunditatem confirmat.

Et primo quidem loco causas eas refutat, cur senectus multis misera videatur? quod scilicet auocet à rebus gerendis, quod corpus reddat infirmum, quod omnibus voluptatibus nos priuet, et quod haud procul à morte absit. Deinde argumentis copiosis et grauibz ostendit, senectutem omnino iucundam potius esse, quam odiosam. Initium à recordatione vitae bene adhuc actae facit, et ex ea haud exiguam voluptatem aetati prouectiori pollicetur. *Aptissima, inquit, s) omnino sunt arma senectutis artes exercitationesque virtutum, quae in omni aetate cultae, quum multum diuque vixeris, mirificos adferunt fructus, non solum, quia nunquam deserunt, ne extremo quidem tempore aetatis, verum etiam, quia conscientia bene actae vitae multorumque benefactorum recordatio iucundissima est.* Et, paucis interiectis, Nestorem adducit tessem, qui iam tertiam hominum aetatem agens, quamuis apud Homerum idem idem de virtutibus suis praedicaret, verendum tamen non erat, ne, vera de se praedicans, aut nimis insolens, aut loquax videretur. Hac mente ille apud poetam senectutem suam tuetur: t)

Quid numeras annos? vixi dignissimus annis.

Acta senem faciunt; haec numeranda tibi.

Aliam

n) Virg. Aen. IX, 610.

o) Deut. XXXIV, 7

p) Ios. XIV, 11. Sir. XLVI, 11.

q) Anson Idyll. II, 61.

r) Cic. de Sen. Cap. V.

s) l. c. Cap. III.

t) Peda Albinov, Eleg. ad Litiam,

Aliam senectutis iucunditatem Cicero in sapientiae studio reperit, cui viri aetate graues maiori plerumque contentione maiorque felicitate seruiunt, quam pueri atque adolecentes. Quantum enim robur corporis diurnitate marcescit, tantum animus ad scientiam percipiendam corroboratur. Ipse Cicero, ubi aetate iam erat prouectus, suo exemplo hoc testatum facturus, ait: u) *ut adolescentem, in quo est senile aliquid, sic senem, in quo est aliquid adolescentis, proba. Quod qui senquitur, corpore senex esse poterit, animo nunquam erit. Ego antiquitatis monumenta colligo, orationes conficio, et multum Graecis litteris utor. Semper enim in his studiis laboribusque viuenti non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu aetas mea senescit, nec subito frangitur, sed diurnitate exstinguitur.* Eadem suo testimonio R. Simeon, filius Acafae, confirmat, cuius verba haec sunt: ש) אכל זקני חורר איני וזקני עם הארץ כל זמן שמזכירין דעתן מזורפת עליהן: זקני עם הארץ כל זמן שמזכירין דעתן מהישבה עליהן: h. e. *Senes plebei quando senescunt, tum ipsorum scientia perturbatur. (Iob. XII, 20.) Non autem ita se res habet cum senioribus legis. Nam quando ii senescunt, tum scientia eorum requiescit super ipsos. (Iob. XII, 12.)*

Neque prudentiam Tullius praetermittit, inter palmarias senum virtutes et laudes referendam. Mens, inquit, x) *et ratio et consilium in senibus est; qui si nulli fuissent, nullae omnino ciuitates essent.* Quod enim Minerua apud OVIDIVM ait: y) *feris venit usus ab annis:*

id prudentia senum perpetuo confirmat. Hanc in sententiam apposite PLATO olim iudicabat, z) tunc demum mentis nostrae oculos incipere acute cernere, quum corporis oculi hebescunt. Cum his PLVTARCHI nostri verba conueniunt, nuper demum in praelectionibus publicis explicata: *μονος ὁ ves παλαιωμενος ἀνθρώπος, καὶ ὁ χροῖος, τ' ἄλλα πάντ' ἀφαιρῶν, τῷ γήρα προστιθῆσι τὴν ἐπιστήμην,* h. e. *sola mens hominis senescentis iuuenescit, et tempus alia omnia spolians, senectuti scientiam adponit.* Tantum nempe senectus consulendo et prospiciendo valet, quantum iuuentus vel adgrediendo vel peruagando audet. Et quemadmodum iuuenes plerique ferocitate et animi leuitate abripiuntur; ita senex e contrario se ipsum nunquam sine mentis custodia relinquit, sed adcurate, et quid agat, et quid egerit, considerat, futura praesentium, praesentia autem praeteritorum comparatione expendens, et praeteritum tempus memoria, praesens sensu, futurum prouidentia complectens.

Porro inter commoda senectutis iure ac merito hoc referri debet, quod in grauescentem aetatem ingressi non amplius cupiditatibus, certe non tam vehementer, quam iuuenes et viri, perturbantur. Haec dum Cicero secum reputat, animo mirifice commotus, exclamat: b) *ὁ praeclarum munus aetatis! quae nobis id aufert, quod in adolescentia erat vitiosissimum.* Addit: *si voluptatem aspernari ratione et sapientia non possemus, magnam habendam esse gratiam senectuti, quae*

u) de Sen. c. XI.

w) in Talmud. Tract. יבמות, §. 6.

x) de Sen. c. XIX.

y) Metam. VI, Fab. I, 29.

z) in Sympof. p. 1204.

a) de Educ. puer.

c. VIII, 16.

b) de Sen. c. XII.

quae efficit, ut id non libeat, quod non oportet. Impedit enim consilium voluptas, rationi inimica, ac mentis oculos praefringit, nec habet ullum cum virtute commercium. Anima igitur senis, veluti sui iuris facta, et illecebrarum vinculis soluta, quo diligentius de comparanda felicitate sempiterna cogitat, eo fortius mundum et mundana spernit. Haec senectutis halcyonia eleganter, ut solet, SENECA his verbis repraesentat: c) *invidiosissima est aetas iam deurexa: nam illam quoque, quae in extrema stat tegula, iudico suas voluptates habere; quod hoc ipsum succedit in locum voluptatis, nullis voluptatibus egere. O quam dulce est, voluptates fugasse et reliquisse!*

Quid? quod ipsa auctoritas et dignitas, veluti apex omnis senectutis, non exiguum addat pondus voluptatibus ex aetate provectori expectandis? Habet, CICERO ait, d) *senectus tantam auctoritatem, ut capluris sit, quam omnes adolescentiae, voluptates. Idem OVIDIVS suo suffragio comprobat: e)*

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,

Inque suo pretio ruga senilis erat.

Quo nomine olim imprimis Lacedaemoniorum respublica celebrabatur, tanta religione senes colentium, ut proverbio locum facerent, *Lacedaemone honestissimum esse domicilium senectutis.* f) Vera autem senectutis dignitas ius suum ex sacris litteris repetit, ubi non solum ipse Deus mandavit: g) *capiti canescenti adsurgito, et senes colito; sed Salomon etiam canos coronam hominis adpellat.* h) Vti enim ea instrumenta ac vasa diligenter et circumspecte servamus, honestoque loco reponimus, quae usum diuturnum nobis praeslitterunt, et adhuc praeslant: ita officii ratio exigit, ut viros aetate nobis superiores iusto honore adficiamus, inprimis, si de republica bene et cum laude meruerint, Hoc AMBROSIVS monet, *vere, inquiens, i) senectus illa est venerabilis, quae non tam canis, quam meritis albescit.*

Tandem etiam singularis in rebus gerendis felicitas multis senibus expectatissima halcyonia comparavit. Animo pium IACOBVM contemplerur, qui, senio confectus, extrema aetate non solum filium Iosephum summis in Aegypto dignitatibus ornatum videbat, sed ipse etiam à Pharaone rege praecipuis honoribus adficiebatur. k) Ex historia Romana inter multos eminent Q. METELIVS, cui nomen Macedonici virtus sua comparavit. Hic enim, quod VELLEIVS PATERCVLVS commemorat, l) praeter excellentes triumphos, honores amplissimos, extantumque vitae spatium, quatuor filios sustulit, quos non modo adultae aetatis vidit, sed omnes etiam superlites et summis honoribus ornatos reliquit, quorum primus erat censor, alter consularis, tertius consul, et quartus candidatus consulatus. Dignum omnino exemplum cui hoc epiphonema Velleius subiungeret: *hoc est nimirum, magis feliciter de vita migrare, quam mori.* Et hanc

c) Epist. XII.

d) de Senect. c. XVIII.

e) Fast. V, 57.

f) Xenoph. de

rep. Laced. p. 684.

g) Lev. XIX, 32.

h) Prov. XVI, 31.

i) Epist. LX.

k) Gen. XLV. XLVI.

l) Hist. Rom. I, II,

hanc quidem felicitatem Metellus ille à patre suo, veluti de manu in manum traditam accepisse videbatur. Namque in ea oratione, quam supremis patris L. Metelli laudibus habuit, ostendit, eum unum res maximi momenti, in quibus perficiendis multi, iique sapientissimi viri, omnem aetatem consumunt, felicissime consummasse; fuisse enim peritissimum belli ducem, optimum oratorem, grauissimum senatorem, et in uniuersa ciuitate clarissimum; aetate autem profectum relinquere liberos boni ominis et nominis, paternae virtutis testes. m) Parè felicitate pater Epaminondae, summi Thebanorum ducis, utebatur, quum senex filium maximis dignitatibus praefici videret. Hac mente Epaminondas, aliquando rogatus, quid sibi in tota vita iucundissimum obtigisset? respondebat: *quod viuum parentem habeo meorum honorum spectatorem.* n)

Haec sunt illa halcyonia, decora, et oblectamenta senectutis, quae aetatem, prima specie odiosam, mirifice leuant, et in primis commendant. Et haec halcyonia Tuam senectutem, MAXIME VENERABILIS WAEGERE, ornare ex voto et illustrare, non sine gaudio videmus. Beneficia enim illius aetatis ingravescentis, quae multis leparatim collata animaduertimus, in Te confociata admiramur. Conscientia recte factorum, fides in prouincia Tua per annos quinquaginta cum fructu et laude administrata, et recordatio incredibilium molestarum bono cum Deo feliciter superatarum, portum Tibi iucundissimum praestant, in quo fructus laborum, curarum et vigiliarum percipis, nulla acerbitate permixtos. Tempus autem senectutis, quod alii vacationi a laboribus, otio, mollitiei atque inertiae impendant, Tu mira adsiduitate vel in procurandis officii partibus, vel in pabulo animi, quod varia doctrina suppeditat, consumis. Accedit admirabilis ille vigor, qui Te vultu, incessu, et voce talem repraesentat, qualem alias dimidia annorum Tuorum parte minorem metimur, et quem merito illa similitudine illustramus, qua CICERO utitur in suae senectutis halcyoniis depingendis: o) *ut non omne viuum, sic non omnis natura vetustate coacescit.* Testes omni exceptione maiores videmus Tuam perpetuam ad obeunda munia alacritatem, memoriam nondum exstinctam, ingenii acumen non obtusum, vim cogitandi non remissam, manus non tremulas, caput non vacillans, firmos pro aetate gressus, oculos viuaces, frontem hilarem, et linguam expeditam. Talis senectus omnino est digna, quam Tibi poëtae verbis gratulemur: p)

Felix à nimium, qui per tot tempora mortem

Distulit, atque suos iam dextra computat annos.

De fama autem nominis Tui, deque honore et amore, quo aequi rerum aestimatores Te complectuntur, me etiam tacente, omnes loquuntur, qui iustum religioni, fidei, et meritis pretium statuunt. Idem certe animus erga Te omnium est Friburgensium, quem aliquando Brunsvicensis et Luneburgenses erga suum sacrorum praefulem, Vrbanum Regium, significabant. Quum enim fama nuntiare, expeti eum ab Augustanis, aperte profitebantur: *perinde, ut oculos, ita Vrbanum se amittere nolle.* q) Sed reuoco calamum à laudibus Tuis percensendis, ne vel

Tuae

m) *Plin. H N L. VII. 43.*

p) *Iuuenal. Sat. X.*

n) *Plutarch. in Epam.*

q) *Adami vit. Theol. p. 37.*

o) *de Sen. c. XVIII.*

Tuae modestiae vim videam inferre, vel adulationis incurrere suspicionem. Paucis multa dixero, si Catoni Te similem adfirmauero, qui, ut habet SALLVSTIVS, r) *quo minus gloriam petebat, eo magis adsequebatur.* In Te certe, si in quemquam alium, poëtae verba conueniunt; s)

Non quaeris Tu, laude licet dignissime, laudem:

Est inter laudes haec prope summa Tuas.

Iam igitur, ubi, diuina gratia adiutus, iubilaeum annum sacerdotii, ante quinquaginta annos auspicio initi WAEGERS noster, saluus et incolumis uiuendo attigit, liceat mihi Vos, qui WAEGERIANVM NOMEN non minus in Maxime Reuerendo Patre quam Consultissimo Filio colitis, ad vota praesque conuocare, verbis ab Vlyse, iam sene et optime merente, mutuo vestris; t)

At Vos, ô Proceres, Vigili date praemia Vestro,

Proque tot annorum curis, quas anxius egit,

Hunc titulum meritis pensandum reddite iustis:

Iam labor in fine est.

Nos autem, qui in schola litteris seruiamus, nostrum esse putauimus, pietatem nostram erga Virum, tam diu et tam praeclare meritum, publice facere testatam, Hoc consilio iuuenes superiorum ordinum, qui natu sunt Freibergenses, WAEGERVVM, patriae ornamentum et delictum, breuissimis votis, vario carmine conceptis, religiose salutabunt. Eorum nomina haec sunt:

Ex Cl. I.

Dau. Gottlob *Tachsel.*
 Dan. Gotthold Ioseph *Hubler.*
 Io. Elias *Harzbach.*
 Io. Georg. *Hoyer.*
 Io. Christoph *Geisler.*
 Chr. Hier. Mich. *Oelschlaegel.*
 Io. Gotthold *Dedekind.*
 Gottfr. Sam. *Frommelt.*
 Beni. Traugott *Schmidt.*
 Ioseph *Myle.*
 Car. Gottlieb *Kisling.*
 Io. Gottlieb *Geisler.*
 Georg. Aug. Fridr. *Zeisig.*
 Gotthelf Christian *V'bricht.*
 Car. Aug. *Toepner.*
 Io. Gottlieb *Kreyzig.*
 Chr. Ehreg. Lebr. *Teschboeckel.*
 Io. Aug. *Bienert.*
 Chr. Ehregott. *Schneider.*

Ex Cl. II.

Christian Gottlieb *Heym.*
 Christian Gotthold *Poppe.*
 Fridr. Gotth. Lebr. *Klingsobr.*
 Io. Fridr. *Pistorius.*
 Io. Christoph *Weber.*
 Carl Fridr. *Kreber.*
 Io. Christoph *Pilz.*
 Io. Sam. *Fritsche.*
 Chr. Gottl. *Sreecher.*
 Chr. Gottl. *Kayser.*
 Io. Gotth. *Geisler.*
 Gottl. Beni. *Herz.*
 Fridr. Gottl. *Wisemann.*
 Io. Aug. *Gastel.*
 Car. Gottfr. *Richter.*
 Car. Gottl. *Zeisig.*
 Car. Theod. Fridr. *Richter.*
 Car. Gottl. *Oelschlaegel.*
 Car. Chr. *Richter.*

Ex Cl. III.

Fridr. Gotthelf *Teichmann.*
 Salom. Gotthob *Bienert.*
 Io. Gottfr. *Friderich.*
 Christian Gotthelf *Meyer.*
 Car. Gottfr. *Rosf.*
 Christian Gottfr. *Maeschel.*
 Christian Ehregott *Franz.*
 Io. Mich. *Pilz.*
 Io. Christoph *Fickert.*
 Io. Gottfr. *Sreecher.*

Ex Cl. IV.

Gottlieb Abr. *Langhammer.*
 Io. Danckegott *Schneider.*
 Carl Gotthelf *Hofmann.*
 Io. Georg. Ern. *Allrecht.*
 Io. Christian *Timmerich.*

Ad hos igitur benenole audiendos et vota pro salute WAEGERI consocianda, ut cras, hora ante meridiem nona, haud grauatim conueniatis, ea, qua pat est, obseruantia oro ac rogo. P. P. *Freibergae.* a. d. VI. Novembr.

A. R. S. MDCCLII

r) Bell. Catil. c. LIV. s) Owen. L. III. Ep. I. t) Ovid. Metam. XIII. Fab. I. 370. sq.

Yb 627

(1/80)

ULB Halle
002 103 591 3



TAJOL







AD
HALCYONIA
SENECTVTIS
ADMIRANDA

48

QVVM VIR
MAXIME VENERABILIS DOCTISSIMVSQVE
M. HIERON. IOACH. WAEGERVS,
PASTOR ECCLESIAE AD D. PETR. FREIBERG. MERITISSIMVS
ET SENIOR TOTIVS DIOECESEOS SPECTATISSIMVS
MEMORIAM SACERDOTII
ANTE QVINQVAGINTA ANNOS INITI

A. D. V. NOVEMBR.

A. R. S. MDCCLII.

RESTAVRARET,

ET

IUVENES DE SCHOLA
PIA VOTA PRO SALVTE ILLIVS.
FACIENDA MEDITARENTVR

OBSERVANTISSIME

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE, Litteris MATTHAEANIS.

XLVIII.